

179. 555.

O R A T I O.

Vixit quantum in hoc sæculo licuit felix, jam pro incertitudine certam felicissimæ vitæ possessionem tenet,prehendit metam, gratulemur, attigit portum Celestima canamus, fabulam clausit, plaudamus. Erramus, si Magnum Virum nos amisisse credimus; aliam cum Protogene superinduco lineam:

Magnum V I R V M non amisimus,
sed præmisimus.

D I X I.



701

TIO POLITICA
DE

AJESTATIS
ENDAS ET CON-
S ACADEMIAS,

Quam
Divino Numine,
RÆSIDE
FRID. MOLLERO,
n. Pomer.


aminandam offert

ROTH, Leutsch.
Iungarus,
d. Albim Academia,

br. Anno M DC XCV.
horis consuetis.

TENBERGÆ,
I SCHRÖDTERI, Acad, Typ.

*Excell. atq. Mag. ...
Dno Jacobo ...*



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

O R A T I O.

Vixit quantum in hoc saeculo licuit felix, jam pro incertitudine certam felicissimæ vitæ possessionem tenet,prehendit meritam, gratulemur, attigit portum Celestima canamus, fabulam clausit, plaudamus. Erramus, si Magnum Virum nos amisisse credimus; aliam cum Protogene superinduco lineam:

Magnum V I R V M non amisimus,
sed præmisimus.

D I X I,



DISSERTATIO POLITICA
DE

JURE MAJESTATIS
CIRCA ERIGENDAS ET CON-
FIRMANDAS ACADEMIAS,

Quam,
Annunte Divino Numine,
PRÆSIDE

M. JACOBO FRID. MOLLERO,
Stetin. Pomer.

Publice examinandam offert

GEORGIUS ROTH, Leutsch.
Hungarus,

In Incluta ad Albim Academia,

Ad diem XX. Febr. Anno M DC XCV.

loco & horis consuetis.

WITTENBERGÆ,
PRÆLO CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad, Typ.

*Excell. atq. Magn.
Dno Jacobo -
Sup. Dno. v. g.*

VIRIS

*Plurimum Reverendo, Nobilissimis, Cla-
rissimis, Doctissimisq̃*

DN. MELCHIORI ROTH,
Ecclesiæ quondam Schvedler. Pastori vi-
gilantissimo, nunc Gymnasii Leuchov.

• *Aug. Confess. addicti Directori,
Dno & Parenti venerando,*

DN. SAMUELI GÜNTHERO,
Ejusdem Lycæi Con-Rectori gra-
vissimo,

Dno ac Avunculo æstumatissimo,
præmissâ omnigenæ prosperitatis appreciatione
præsentem Dissertationem

D. D. D.

Respondens.



Præloquium.

Neminem, qui vel primoribus saltem labris Politices
elementa degustaverit, in doctrina civili usque adeo
hospitem esse arbitror; ut cognitum perspectumque
ipsi haut sit, Majestatis curam ad sacra pariter & civi-
liã sese extendere. Etenim Princeps pius est custos utriusque tabulæ,
& nutritius Ecclesiæ, ut Deus promittit apud Esaiam c. 49. Hinc Au-
gustinus epist. 50. ad Bonifacium eleganter ait: *In hoc serviunt Do-
mino Reges, cum ea faciant illi, qua non possunt facere nisi Reges.*
Hoc autem est religionem constituere, conservare, defendere, am-
plificare. Qui enim curare debent salutem Reipubl. generatim; illi
etiam procurare debent omnia ea, sine quibus Respubl. salva con-
sistere nequit. Et ut de multis quædam saltem sistamus Scenæ inpræ-
sens, asserimus: Respubl. neque in civilibus neque ecclesiasticis pul-
chre efflorescere posse, nisi Literarum quoque floreat studia. Nam
si quid est, quo Respubl. omnisque civitas, quinimo universa socie-
tas generis humani non tantum bene ornantur, sed & feliciter con-
servantur; scholæ profecto sunt, quæ simul cum illis originem suam
ducunt, & abrogatione sui, iisdem interitum conciliare queunt?
Quemadmodum enim corpus sine anima haut vivere; ita etiam
nullum imperium sine scholis bene constitutis consistere potest.
Quin sicut in vastata quadam terra etiam fame ac inopia perire co-
gitur exercitus; ita quoque Resp. sine Scholarum & Academiarum
institutione, quippe quæ vera Ecclesiæ ac Reip. sunt plantaria, licet
illi non sint externi hostes, sub suo deprimatur onere. Magna sane
scholæ & literarum dignitas est, adeo ut commendationem non re-
quirere videantur alienam, cum sui ipsius testimonio glorientur.
Illud tamen prætereundum non est, quod alias de *Juliano Apostata*
refert Job. Cuspinianus in Juliano, pro summa, quæ pollebat, pru-
dentia, satis intellexit, quantum literarum studia in Rep. possint.
Quare Christianis, ne Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores
litteras aut docerent, aut discerent, interdixit: nimirum, ne quæstum

ex iis artibus facerent, quarum religionem respuerent; aut ne doctrinis gentilium eruditi adversus eos uterentur. — Ex quo satis superque patet, Majestatem omnino de constituendis & erigendis Academiis debere esse sollicitam. Opera ergo facturos pre ium nos esse putavimus, si de *Jure erigendi & confirmandi Academiis* materiam sub Disputationis publicæ incudem revocaremus. *Faxit DEUS Ordinis ac Majestatis supremus Autor, quiqve ipse Majestati hoc Jus concessit, ut operemur ex voto atqve feliciter!*

§. I.

Origo Scholæ

Antequam ad rem ipsam pergamus, quædam prælibanda esse, censemus tam de Academiarum *origine*, quam de ipsa *vocis natura*, ac *significatione*. Si itaque Academiarum Originem attendimus, omni tempore eas extitisse, adeoque apud Veteres etiam in usu fuisse, invenimus; quanquam non una omnium populorum hic fuit ratio. Nam non putandum est, quasi antiquissimis seculis idem per omnia floruerit studiorum genus, aut vetustiorum scholæ eadem prorsus facie aut forma cum nostris fuerint; loca tamen habuisse destinata studiis, nemo inficias ibit. Hujus sententiæ nostræ testem assumimus *Alstedium*, quando in *Thesauro suo Chronologia, Chronol. 30.* ita scribit: *Schola statim post A. M. 30. cæperunt, quo Abel natus perhibetur: & in familia Sethi fuerunt conservata usque ad diluvium. In his scholis Theologia imprimis & Astrologia fuerunt tradita.* Accedit sententiæ nostræ largior fides ex observatione, quomodo schola post diluvium incrementa ceperit: *Post diluvium, Alst. cit. loc. inquit, Sem instituit Scholam privatam, quæ postea dicta est Hebræorum. Hac per Abrahamum & Josephum translata fuit in Ægyptum, ubi peperit varias Colonias, inter quas etiam fuit illa schola, quam frequentavit Moses auspiciis filii Pharaonis.* Attendamus quoque monumenta Biblica, sic Lib. Jos. c. XV, 15, & Jud. c. I, II. Academiam in Judæa fuisse, invenimus, quæ *Dabir* dicta, anteaque vocabatur *Kiriat Sepher*, q. d. *civitas litterarum & disciplinarum*, quod inibi disciplinarum omnium rudimenta tradebantur. Inprimis vero in *Najoth* celebris fuit Academia, ubi Studiosi Theologiæ ab Inspectore vel Episcopo & Professore Primario Samuele in studiis præsertim sacrarum litterarum informarentur, 1. Sam. XIX, 20. seqq.

§. II. In-

§.II. Institutum nostrum longe excederet, si hic in campum
antiquarum Academiarum nimis exspatiari vellemus. Quare
ex singulis Monarchiis unum alterumque Academiarum genus hic
saltem breviter recensebo. Prima Monarchia *Affyrriorum* fuit, au-
ctore *Nimrodo*, qui, teste *Alstedio*, *Scholam Chaldeorum Babylone*
instituit, & cum Ninive a Babyloniis occupata esset, Schola Babyloni-
ca sola remansit, qua tempore Danielis ad huc floruit. Philosophi
Chaldeorum dicti sunt Aſchaphin. *Persarum Scholam* acceda-
mus, cujus Professores Magi dicebantur, teste Cicerone, qui *Magos*
genus Sapientum & Doctorum habitum in Persis, scribit L.I. de Di-
vinat. *Græcos* III. Monarchiam constituentes, artibus variis cul-
tos fuisse, teste nullo indiget. Ex abundantia arbitrum sumamus
Doctiss. *Hornium in Hist. Phil. L. 3. c. 1.* *Græcia*, inquit, *postquam*
semel exorta est & fulgorem fama sue sparsit, cæteris omnibus Orbis
partibus palmam præripuit, adeo ut sola Græcia jure meritoq; Ma-
ter Philosophiæ dici possit. De Schola *Platonis*, nec non ejus feli-
cissimi successoris *Magni Aristotelis* nihil dicam. Restat, ut eti-
am de Scholis in quarta, eaque ultima Monarchia, (Romanorum
puta) dicam. Clarissima omnium duodecim *Apostolorum*, &
LXX. Discipulorum schola est. Paulo post primum Punicum bel-
lum L. Livius Poëta docere fabulas cœpit, ludumque aperuit, ac
mercede Grammaticam docuit. Quod literatorum genus post
bellum Punicum secundum sic increvit, ut ultra viginti Gramma-
ticorum celebres scholas fuisse in urbe tradatur. In *Germania*,
Ingevon Germanorum Rex, ut subditos suos humaniores effice-
ret, publica bonarum artium *Gymnasia* instituisse fertur, quibus
religionis veritate & sapientiæ studiis perpolirentur. Eum in fi-
nem antiquitus instituta fuerunt *Collegia Canonorum*, ut juven-
tus in eis tam in Theologia, quam Philosophia, aliisque bonis ar-
tibus erudiretur. Post cum in iis studia negligerentur, quod Ca-
nonici occupati essent Regum & Aularum negotiis, docendi mu-
nus in *Monasteria* translata est. Sed nec ibi, memorante *Li-*
mmæo L. 8. de Jure Publ. c. 1. n. 26. certam & fixam reperit sedem.
Etenim cum maxima Monachorum pars ignaviæ & otio deinceps
dedita, nihil minus curaverit quam literas: optimum judica-
tum fuit, ne omnino interirent literæ ac degenerarent in barbariem,

quæ eas jam multa ex parte inuaserat, Academias peculiaribus in locis instituere. Quam in Republ. proinde habeant utilitatem. Academia, bene animadvertit suo ævo Maxam Ilianus Imperator Rom. in Comitibus Wormatiæ habitis Anno 1495. Monuit enim Electores, ut propter summam eruditorum inopiam Academias erigerent: quod monitum exaudientes, multas passim Academias extruxerunt. Si plura prolixioraque desideras hac de re, consule viros Excell. Dn. Rôbrenseem in egregia sua Disput. de *Academiis*, & *Conringium* in *Antiquitatibus Acad.* nec non *Alstedium* in *Lib. XXIV. Encyclopedia Schol. cap. XIII. p. m. 1525.*

§ III. Post originem Academicarum non absurdum mihi videtur, si paucis vocabulum *Academia* examinem. *Ακαδημία*, sive *ακαδημεια*, aut etiam *Ἐκαδημία* unde sit dicta, non convenit inter autores. Alii enim civitatem, alii lavacrum, alii Gymnasium interpretantur. Qvi civitatem, hi *Ακαδημια* velut *αὐτὴν τῶν δῆμων* collectionem populorum, dixerunt: quemadmodum *ἀγορῆ*, actu Terentio pro systemate vel congregatione ponitur, ex *α*, quod est *ὄμῆς*, & *ἰστῖνας*. Qvi lavacrum, ii *ἠδὲ τὸ κἀλειν*, quod est ornare, Academiam dici volunt. Lavacrum enim fuit prope urbem, cum nemore junctum Academia. Et ex eo solebant Studiosos juvenes abluere, cum ad certos studiorum gradus conscendissent, ut auctor est *Nazianzenus*. Qvi autem pro *Gymnasio* acceperunt, plerique omnes statuunt fuisse nomen impositum ex *Academo*, sive *Hecademo*, viro laudato, qui ex privata possessione fecerit locum publicum studiorum causa. *Franciscus* tamen *Junius* in sua *Academia* putat, hoc nomen deductum esse a *Kadmo* Agenoris filio, vel a *Kadmeis* autoribus, qui sedibus suis pulsi Athenas commigrarunt. *Kadmus* autem est nomen Phœnicium, ab Hebraico *קדמו*, quod antiquum, vel anticum notat, sive illud sit tale tempore, sive loco, sive dignitate, sive officio & actione. Qvis vero fuit ille *Kadmus*? fuit *Hermes*, sive *Mercurius* Græcorum, qui, quod literarum ornamento esset instructus, ab omnibus fuit habitus princeps, adeo ut *Ægyptii*, *Phœnices*, & *Milesi* contenderint singuli, illum esse suum. *Ægyptiis* dicitur *Tautes*, *Libybus*, *Hercules*. Græcis *Hermes* & *Καδμιλος* *Kadmilus*, a Phœnicio *Kadmus*. Sic itaque *Kadmea*, sive *Kadmia* fuerit locus studiorum causa a *Kadmeis*

meis advenis, Athenis institutus. Quod autem olim Athenienses suæ Academiæ hoc nomen arrogaverunt, & alii *κατ' ἐξοχήν* ei attribuerunt, id ambitione illorum factum est, qui *aborigines* in Græcia haberi voluerunt, & horum adulatione, vel ut Junius d. l. existimat, ignoratione, quod nempe ignoraverint, veram hujus vocis originem. Quicquid hujus sit, Academia est commune nomen omnium conventuum & collegiorum, quæ institui & haberi solent ad rem literariam. Hinc *Claudianus in Panegyrico de Manij Theodori consulatu*:

In Latium spretis Academia migrat Athenis.

Hodie tamen Academia peculiariter dicitur Schola privilegiis amplioribus ornata.

§. IV. Removemus ergo hic illam Academiæ acceptionem, quæ ad peculiarem Philosophorum sectam applicata fuit, qui Academicici inde dicebantur. Illud autem plane inconveniens est, quod citante *Limneo de J. P. add. ad L. 8. c. 1. n. 10.* Galli illustre Academiæ nomen his quoque attribuunt locis, ubi conveniunt illi, qui *talos fortunarum suarum arbitros constituunt.* Nec Italicorum acceptio, ut ut convenientior sit, hic valet, qui *Collegia nobiliorum civium*, ubi de certis scientiarum momentis aut articulis conferunt, vel de propositis sibi rebus disserunt, Academiæ vocant. vid. *Steph. Gvazzus de civili Convers.* Nos enim Academiæ habemus pro societate, quæ ex speciali summa Majestatis concessione ad studia literarum docenda & discenda jurisdictione & privilegiis gaudet.

§. V. Æquipollens Academiæ habetur *Universitas.* Quamquam nonnulli inter Universitatem & Academiæ subtilem differentiam, ut ipsis quidem videtur, excogitarunt; sed eam neque subtilem, neque utilem, multo minus veram esse, asserit *Cluten. in Sylloga rerum quotidianarum lb. 21. tit. E.* & ex eo *Limneus in Diss. de Acad. explic. lb. 1.* Licet Academiæ non ideo dicantur Universitates quasi quædam civitates sint, utpote nullo gaudentes territorio, sed quia vel formam parvæ Universitatis habent, vel singulis ac universis aditus ad ea patet, vel demum universa artium genera ibi traduntur, propterea enim maxime adæquatam videtur hoc nomen ab universali ambitu scientiarum, quæ in societatibus ejusmodi tractantur, desumptum. Unde est quod etiam quandoque *Studia*

Uni-

Universalia audiant. Vocantur & *Schola majores*, ut contradistingvantur trivialibus. Dicuntur item *Gymnasia*, quæ tamen ut plurimum, hodie imprimis distinguuntur ab *Academiis*. Horum nominum quædam conspicua sunt in privilegiis Imperatoris & papalibus.

§. VI. Expeditis ita, quæ *Academiæ Originem* concernere videbantur & vocem, superest, in intimiora Juris circa fundendas & erigendas *Academias* adyta, vel tandem ut nos penetremus. Inter cætera, quibus induta potissimum *Majestas* fulget, hoc sane præcipuum jus videtur, quod circa *Ecclesiastica* exercetur. Jus inde in erigendis *Academiis* nemini nisi *Majestati Summe* vindicare possumus propter curam generalem circa res tam civiles, quam *ecclesiasticas*. Hanc autem competere ipsi *Majestati* asserimus, abstracta tamen *Religionis*, seu cultus qualitate. Fertillissimus hic sane dicendi campus foret, si pro stabilienda hac assertionem, tum expressum divinæ *Majestatis* mandatum, tum sanctissima ejusdem promissa & prædictiones, tum honorifica Imperantium encomia, nec non sanctorum denique Patrum testimonia adduceremus. Verum præter necessitatem *Entia* multiplicare, nec attinet, nec nemini hæc obvia suat. Commendata Principi quam maxime est *Reip. salus*; ad hanc jam non *Academiæ* viam sternunt modo, sed & sustinent *Rempubl.*, & ad immortalitatem extollunt. Commissa a Deo ei est sacrorum cura, cujus cum parte quædam, aut fructus *Academiæ* sunt, merito quoque eminenti illi potestati adscribuntur; unde & *Episcopale jus in Ecclesiasticum & Academicum* distribui solet. Ut autem *Majestas universæ civitatis* regimine a Deo sibi commisso recte perfungatur, videat, ne qua illicita in *Remp.* irrepant *Collegia*, unde eidem præjudicium aliquod creari possit. Inde *Athenis* olim *Sophoclen* legem tulisse legimus, ut nec *Scholæ* erigerentur, nec *Philosophorum* quis iis præficeret, sine *Senatus decreto*. *Romani* quoque nullum *Collegium* sine publica auctoritate institui voluerunt. vid. *Arnisæus de Jure Maj. L. 1. c. 6. n. 14. p. 306. in medio.*

§. VII. Ubi si specialiter de nostro Romano-Germanico Imperio sermo est, hoc jus nempe universalium studiorum fundatio & privilegiorum concessio, vel ipsa auctoratio a solo Imperatore pendet,

pendet, eiqve tantum competit, Statibus vero nequaquam. Licet enim hic non nemo inferret: Majestatem non esse penes unum, sed penes plures, qvia de Majestate simul participant Electores, ceteriqve Imperii ordines, adeoque certo modo divisam: & Imperatorem non absolute omnia administrare, sed Status Imperii nostri quædam cum Imperatore habere jura communia. Illud nos non stringit; hoc quidem verum est, quod in Imperio omnes, qui gaudent jure territorii in regiones suas, quiqve τὸ κύριον habent Majestatis titulo possint insigniri, & quod certis limitibus Imperator sit circumscriptus, illud summæ Imperatoris potestati nihil derogat, quæ eidem denegari non debet, quia quasi caput reliquorum est, Quædam quoque sibi peculiaria servavit jura, de quibus non participant Status, qvale est potestas confirmandi Academias. Id etiam nos ipsa docet praxis, cum singuli Academias erigentes de concessione Imperatoris sint solliciti diplomata & Privilegia iisdem procurantes, *solvendo Camera Imperiali bis mille, Cancellaria vero trecentos & quingvagina florenos*, quemadmodum ad *Tit. 13. Lib. 1. Instit. Jur. Can. Job. Schilteri Illust. Seryck* animadvertit. Quod Status Imperii non possint confirmare Academias, sed privilegia Academica concedat Imperator & Rex Romanorum, hoc significatur in *Ord. Camer. Part. I. Tit. 3.* *Desgleichen sollen die Beysther/ibi, in Universitäten / welche zum wenigsten von unsern Vorfahren Römischen Käysern und Königen der jetzigen Käyserlichen Majestät oder uns confirmiret.* Vid. etiam *Instrum. pacis Osnabr. Artic. X. fere sub finem*, ubi Imperator Regno Svedix concedit jus erigendi Academiam quandam in Ducatibus illis, quos hodie ab Imperatore tanquam Feudum recognoscit. Et quid opus est prolixiori Disputatione, cum singulæ fere Academix Privilegia sua reapse Imperatoribus debeant, uti ex earum Catalogo, quem proponit *Daniel Otto Jur. Publ. c. 24. p. 694. seqq.* videre est? Sic *Bononiensis* mater studiorum primum a *Theodosio* instituta, dein a *Carolo Magno* reparata, postremo a *Lothario Saxone* instaurata, & a *Carolo V.* majoribus privilegiis & immunitatibus exornata. Nec *Patavina*, nec *Parisiensis*, ut pieriqve contendunt, nec *Pragensis* alium, quam *Carolus Imperiores* conditores & confirmatores habu-

habuerunt. *Limnaus de J.P.L. §. 6. t. u. 33.* Cæterum Imperator jus erigendi Academijs concedit Principibus & Statibus Imperii, non vero ut eas privilegijs ornare confirmareque possint. Equidem *de falso* & citra consensum Imperatoris Electores vel Principes possent erigere & confirmare Academijs, iisque Privilegia concedere; at tunc Doctores vel Magistri in iis creati extra eorum territorium non haberentur pro veris, neque ulla apud externos valeret prerogativa. Satius itaque omnino agunt, quod consensum Imperatoris efflagitent, ut per totum admittantur Imperium. Quid de Belgica Academia, quæ Leidæ inter medias belli turbas ab Ordinibus Anno 1575. 1. Febr. erigebatur haut requisito certe Imperatoris assensu, habendum sit, exponit pluribus *Lansius Comment. de Academia p. 6. §. 7.*

§. IIX. Jus dotandi tamen Academijs & conservandi Principibus in nostro Imperio concessum est. Nam sine *Dotibus ac redditibus*, unde *Salaria* constituuntur Professoribus, quæ non modo sufficiant necessitatibus eorum, sed & ad honorem pertineant, Academia nec esse nec subsistere potest. Prospiciat itaque Princeps Academiae de publ. redditibus, ne superstite adhuc Patrono mox agonizet, & moriatur filia ordine mortalitatis turbato ante patrem. Bene de hoc ad Hesperum *Symmachus l. 1. Epist. 73. Scilicet, bonas artes honore nutiri, atque hoc specimen esse florantis Reip., ut disciplinarum Professoribus premia opulenta pendantur.* Nunquam satis deprædicari potest Principum nonnullorum & Rerum publ. munificentia, quæ erga bonas literas, publicosque earum doctores usi sunt. *Alexander Magnus*, qui *Aristoteli* in unam historiam animalium scribendam octoginta talenta, nostræ pecuniæ quadraginta & octoginta millia Philippicorum contulit. Et *Dioclesianus Eumemio Rhetori*, in schola Augustodunensi Doctori, annua sexcenta, i.e. quindecim millia Philippicorum assignavit, referente *Iusto Lipsio Lib. 2. Exempl. & Monit. Polit. c. 18. p. m. 284.* *Senatus Bononiensis*, fertur, annue quadraginta Coronatorum millia in Professores suos expendisse. Imitati hanc liberalitatem Belgæ sunt, qui postquam *Iustum Lipsium* e Leidensi Academia amiserunt, ut tantam Academiae suæ jacturam digne repararent, erepto Gallia

Galliæ suæ palladio, *Josephum Scaligerum*, Europæ lumen liberali mille aurcorum solarium annuo stipendio vocaverunt, nec quicquam ab isto Musageta exegerunt aliud, nisi ut congressu conspectuque suo, celebritatem Academiæ conservaret augetetque. Vid. *Lansius d. tr. p. 41.*

§. IX. Reges vero singuli in suis territoriis idem jus habent, quod Imperator in Imperio. Sic Invictissimus quondam Heros Svecorum Rex, GUSTAVUS ADOLPHUS, (quem ob res maximas gestas merito MAGNUM cognominavit *B. August. Buchnerus Ont. l. Acad.*) Upsaliensem Academiam firmavit, renovavit & regie locupletavit. De Rege Hispaniarum, Rege Galliæ &c., res in vulgus nota est. De Rebus publ. liberis res est expedita. De Helvetica ita differit Instr. pacis Cæsareo Gallicum p. 32. ibi. *Das besagte Stadt Basel / und andere der Eydgenossenschaft Cantones, in die freye Libertet, und exemption wegen des Römischen Reichs gesetzt / und keines wegen dessen Römischen Reichs Berichten subject seyn soll.* Et ut verba redigam in compendium, quæcunque Resp. habet plenam independentemque potestatem, illa potest confirmare & instituere Academias.

§. X. Ex his jam adductis colligitur, quod nemini concessum sit, in alterius territorio erigere Academiam, aut sibi tribuere hanc curam, & circa Academias constituere aliquid, aut determinare posse, nisi velit injustus ejus Jurium invasor esse. Unde manifestum est, quid de *Romani Præsulis* arrogantia pariter & iniquitate censendum sit, qui falcem, quod dicitur, mittit in alienam messem, sibi que soli potestatem confirmandi Academias quascunque sumit. Arrogavit sibi Papa in aliis dominium, & idem contigisse in sacris quotusquisque nescit, ut vel in Academiis erigendis & confirmandis, de quibus impræsentiarum sermo est, absque fastuoso ipsorum suffragio nihil quicquam licuerit Majestati? Sed excussit ipsa hoc jugum, debitumque rursus, quo destituta pridem fuit, jus sibi asseruit. Merito igitur, summæque autoritatis vi non obtinere

solam, sed & exercere licet ipsi hoc *Regium Axioma*, ut absque Pontificis assensu Academiæ possit fundare. Ast insurgunt hic contra nos aulæ Pontificiæ assentatores, nihil vero præter novitatem Juris hujus Episcopalis clamitantes. *Valentinus Roimar. in Annal. Acad. ingolst. parte 1. p. 35.* pro Academiis eas non habet, quæ non munitæ sunt Pontificum Privilegiis. Sed quia hanc Pontificis temeritatem sedis papalis cultores magno defendunt numero, rationes quoque eorum, verum leviculas, quibus armati procedunt in pugnam e vestigio examinaturi sumus.

§. XI. Nec rejicit nostram sententiam, qua Jus erigendi Academiæ Summæ Potestati vindicamus, quod etiam alii erexerint Academiæ, qui summam Majestatem non habuerunt. Sic memoratur, apud Scotos consuetudinem ac mores invaluisse, Academiæ non a Regibus, neque a Ducibus, sed ab Episcopis fundari, ut scilicet *Aberdonensis ab Elphinstone Episcopo, S. Andrea a Jacobo Kennedo, ut & Glastonensis pertenuis ac Magistris literariis fere destituta, sunt erecta & confirmata, quemadmodum Choppinus de Dom. Franc. l. 3. t. 27. n. 22. autor est.* Verum res est in vado. Concedimus quidem haut inviti, posse inferiores consilia suscipere de erigenda universali Schola, posse suppeditare sumptus, de terminare locum, concedere ædificia ad ejus conservationem necessaria, posse & immunitatibus quibusdam & privilegiis eam instituire, & universam administrationem ejus & curam gerere; ex hoc tamen non statim deduci potest, excludendum supremi Magistratus arbitrium esse, sed ab inferiori vocandum in partes, ut vitam Academiæ ac spiritum afflatu benigno concedat, augeat jura, suaque confirmet auctoritate, quod inferioris benignitas auspiciata est. *Euchananus etiam l. 10. rerum Scotticarum affirmat, Anno Chr. 1500. publicas scholas ad fanum S. Andrea aperiri ceptas, magis doctorum hominum consensu, ad professionem literarum se offerentium, quam ullo publico aut privato accedente auxilio.* Sed in his atque similibus non videndum ubique, quid fiat, sed quid de jure fiat. Vid. *Excell. Rôbrenses Disp. supra citata.*

§. XII. Frustra jam hoc jus Pontificii tribuunt Pontifici Romano. Ne vero nudum plane latus nobis objiciant, dicunt:

Jus

Jus Academiæ constituendi semper habitum fuisse pro *spirituali*, quod renunciaciones Doctorum & Magistrorum fiant permissu Cancellariorum, qui fere semper Episcopi, aut personæ ecclesiasticæ esse soleant: nihil ergo esse æquius, quam ut Pontificis auctoritas in iis condendis interveniat. Ut autem porro robur assertioni suæ addant, Ethnicorum statum & morem trahunt in exemplum. Apud Ethnicos olim, ajunt, Pontificatus apicem & imperii culmen in unius resedisse persona, & in Republ. Romana interpretandarum legum licentiam & actiones apud Collegium Pontificum fuisse, e. c. Titus Coruncanus, qui fuerit Orator & Pontifex M. ac Pontificii eorum juris peritus, primum Romæ juris civilis scientiam professus est, cum lateri ante eum, vel in latenti jus retinere cogitassent, vel solus consultationibus vacassent, quam discere volentibus se præstitissent. Nos uti & in temporalibus, & circa sacra Principibus personis suum asserimus jus, Pontificis autem potestatem & auctoritatem neutriubi agnoscimus: ita & jus erigendi & confirmandi Academiæ eidem denegamus. Equis etenim Pontifici hanc attribuit potestatem, in aliorum territoriis disponendi de iis, quæ ad civile regimen spectant? Si Pontifex se contineret intra fines Italiæ; illi hanc potestatem forsitan non denegaremus, cum Pontifex in Italia habeat potestatem, quo jure cuius constat? Sed Pontificii hoc nolunt, jactant potius Pontificem habere summam potestatem in omnibus regnis. Quæ assertio, ut alia taceam, manifesto impingit in principia politica. Imperator una cum Statibus, alii Reges & Respubl. liberæ habent τὸ νόμον. E. Papa illud habere nequit, cum contradictionem involvat, dari duas summitates in Majestate. Quod vero *Cancellarii sacri Ordinis* olim præfuerint Academiis, id non magis evincit, Academiæ esse corpora ecclesiastica, quam Romano-Germanicum Imperium esse ordinis ecclesiastici, qui Archi-Cancellarii ejus, Elector Moguntinus, Trevirensis & Coloniensis sunt personæ ecclesiasticæ. Assumpserunt olim & Principes Cancellarios ex Clero, neque tamen propterea curias eorum & aulas ad societates ecclesiasticas referes. Certum interim est, penes Pontifices, sive Ethnicos, sive Christianos non fuisse potestatem dandi Professoribus

bus auctoritatem docendi, etiam in urbe Romana *Limn. l. c. n. 43.*
Et quid demum, si valeret comparatio, inde emergeret? Scilicet
Professorem Academicum & Antecessorem agere Romanum Pontifi-
ficem posse, salario ipsi ab Academia Patrono constituto.

§. XIII. Confirmare præterea putant hoc Pontificis jus, quod
Papæ multas Academias antiquas, quæ privilegia sua & confirma-
tiones ab eo solo habent, confirmavit. v. g. Tubingensem in verb.
Das diese Schul von dem Heil. Stuhl zu Rom mit Päbstl. und vollen
kñmfl. Vernehmung begabet seq. vid. *Besoldus de Jure Acad. l. c. 12. §. 4.*
Deinde Martinus V. Pontifex solus confirmavit Academiam Rostochiensem, sero tandem illam comprobavit Ferdinandus I. Univer-
sitatibus Francofurtanæ Præsentia Alexander VI. P. M. primo, post eum
Julius II. confirmarunt. vid. *Germani Medic. Pol. p. 515.* Quod pluri-
mæ in Germania, & alibi locorum Academiae Papali auctoritate cœ-
perint, & confirmatæ sint, negari equidem non potest; interim ta-
men obscurum esse nequit, id ipsum, quod circa Academicarum insti-
tutionem Romanus Papa sibi vindicat, nullo prorsus jure niti, sed per
extremam injuriam civili potestati esse ereptum. *Conring. Diss.
de Majestate, ejusque juribus circa sacra & profana potissimis Tb. 46.*
Papa fecit hæc de facto. Valent autem papæ gesta eodem modo,
quo Barbarij Philippi in l. 3. de Offic. prator. ac perinde habentur, ac
si ab ipso Imperatore cujus vicem falso sustinuit Papa, fuissent con-
firmatæ. Adde, quod florentissimæ Academiae absque Pontificis
confirmatione constitutæ olim & ad hunc diem conservatæ, pro-
fus edoceant, Pontificis ea in re nullas partes esse. Academia Fri-
dericiana Halæ Sax: a Potentiss. Electore Brandenburgico Friderico
III. erecta post Imperatoris nullum alium expetivit consensum; Et
quid plura præfatur, de Pontificum privilegiis ipsum quoque Im-
peratorem recte decernere & judicare, ostendit *Ernest. Corhman.
Academ. Resp. l. n. 8. 9. & Resp. 32. n. 8.* Sprenenda igitur merito est
Papæ jurisdictio, quæ extra territorium jus dicentis exercetur.

§. XIV. Neque & hoc pondus habet, quod plerumq; Pontificii
docent, quodq; palmariū eorū ac principale argumentum esse solet,
nempe Petrum Romæ, ferunt, Episcopum, Christi vicarium fuisse,
& in cathedra sedisse annis XXV; idcirco ad ecclesiasticum Regi-
men re-

men relatum volunt hoc jus, regimen ecclesiæ non super eminenti potestati, sed Romano Antistiti deberi, ac Apostolatus officium, quo false gloriatur Papa, non contineri doctrina verbi & sacramentorum administratione, sed sacrum etiam principatum inferre. At famosum hoc fundamentum Pontificium plane nullum esse, quis non vider? Non enim sequitur, Petrus fuit Romæ, ergo Pontifex tanquam Vicarius Petri (qui scilicet fuit Christi vicarius) habet summam potestatem in omnibus regnis. Quid si daremus Petrum fuisse Romæ, at quid inde? in consequentia deducenda & probanda illi manifestum semper vanum in se redeuntem circulum committent. Prolixiori sane fermone hanc controversiam, An Petrus XXV. annis Romæ Episcopus fuerit, postquam sedem primatus Antiochio Romam transtulit? deducere possem, quia autem simplicitorem hanc opinionem hoc loco prolixè refellere non est mei instituti, & quia ille *Celeber. Theol. Dn. D. RANGO, Patronus meus observantissime de venerandus, in Colleg. Hist. Ecclesiastico c. IV. Sect. I. Sec. I.* quod tunc temporis, cum in Academia Gryphica studiorum causa degerem, haut vulgari eruditionis acumine a laudato Viro prælegebatur, mihi ferias fecit, merito hic in hac spissa controv. acquiesco. *Magdeburgenses tamen Cent. I. Lib. 2. c. X. p. 561. seqq. & Nic. Hunnius in Pelle Ovina p. 660. seq. & c.* haut parum suppeditare possunt lucis.

§. XV. Error eorum & in hoc manifestatur, qui non admitti in numerum Assessorum Cameræ, nisi promotos in Academiis a R. Pontifice approbatis, scribunt. Exempla enim adsunt in contrarium, Dn. Hartlieb, & Dn. Pistorius (promoti DD. Marpurgi) fuerunt assessores Cameræ. vide *Limnaum l. c. n. 32.*


§. XVI Nonnulli Romanensium prioribus paulo videntur liberaiores, dum erigendæ Academiæ jus in solidum quidem non tribuunt Pontifici; ejus tamen consensum ad minimū confirmationem Principis arbitrio consociari debere, arbitrantur, ita Besoldus l. c. §. 5. facile obtinere posse putat, non debere Pontificem, invito Rege, vel quo alio Principe superiori, Academiam confirmare, si inferior status petat, id quod in Gallia An Chr. M. D. L. disputatum fuerit, cum *Lotharingius Cardinalis Dunoortori. Rhemorum Academiam constituisse*


tuisset, & pontificium Diploma eo sine impetrasset: quod si tamen non invito Principe hanc potestatem exerceat, eam utique concurrere debere existimat. Sed satis in antec. demonstratum esse reor, papæ potestatem ad civiles actus non pertinere, nec Academiarum jus inter *Spiritualia* esse referendum; licet in eo ad spiritualia aliquis habeatur respectus, nec summum imperii jus, cui sui plenitudinem contineat, concomitantem Papæ autoritatem aut expectare aut requirere. Hic respicimus tantummodo & disputamus non *quid factum fuerit, d. de faciendi jure* nobis sermo est.

§. XVII. Sed quid tandem de illis fiet Academiis, quæ sola Pontificis autoritate confirmatæ ac privilegiis instructæ sunt, & nunquid earum subsistet valor? si Principe Superiori invito factum sit, nullum est dubium, pro illegitimis eas esse habendas, quemadmodum Gallus hujusmodi conatui recte se opposuit, ut in antec. thesi adduximus: quod si tamen *expressus Principis, aut tacitus accedat consensus* non ob autoritatem Pontificis, sed intercedentem illum consensum eas subsistere arbitramur; id quod imperii totius confirmat observantia, quæ Academiæ in Germania erectæ & apertæ autoritate Pontificis, quasi ab illo imperatore erectæ & imperiales habentur. *Garpzov. Jurisprud. Consist. l. 2. Def. 396.*

Ex quibus videmus, undecunqve tandem Academiarum origo repetatur, Principis potestati nihil inde decedere, quod, si non *immediate* semper & *expresse*, *mediate* ad minimum ipsius concurrat arbitrium.

Hæc itaque dixisse sufficiant. DEO vero Trinuni immortales nuncupamus gratias, pro concessis viribus. Huic supremo & clementissimo Domino universalia literarum studia, omnesque *iisdem bene faventes*, nos demum nostraque studia & omnes actiones submissis & calidissimis votis commendamus.






tuisset, & pontificium Diploma e
non invito Principe hanc potestate
rere debere existimat. Sed satis in
papæ potestatem ad civiles actus
jus inter *Spiritualia* esse referendu
quis habeatur respectus, nec sum
dinem contineat, concomitantem
aut requirere. Hic respicimus
quid factum fuerit, d. de faciendi


§. XVII. Sed quid tandem de il
ficus autoritate confirmata ac priv
earum subsistet valor? si *Principe*
lum est dubium, pro illegitimis e
Gallus hujusmodi conatui recte s
ximus; quod si tamen *expressus Pr*
sus non ob autoritatem Pontifici
sum eas subsistere arbitramur;
observantia, quæ Academiæ in Ge
te Pontificis, quasi ab illo imperat
Carpzov. Jurisprud. Consist. l. 2. l.

Ex quibus videmus, undecu
repetatur, Principis potestati nih
mediate semper & *expresse*, *medi*
arbitrium.

Hæc itaque dixisse sufficien
les nuncupamus gratias, pro ce
clementissimo Domino universi
iisdem bene faventes, nos der
actiones submissis
comme







Das "Centurion-Lied" lönd'ke
ich wohl besten, da hinthron 2
a "Zur Wille" 18^{er} colligabromben
tittem ab, mecht annoch stulck
dantjehor. (Unschöner Gefängnis-
-Puss) Lebens.

1905. $\frac{5}{V}$



